

Dei erga se charitate perspecta, non poterat non redamare ipsum) ergo, inquit, dilecte mi, meque ipse diligens, qui pascis in liliis, hoc est, qui in amoenissimis versaris locis, DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRAE, REVERTERE, id est, redi, nos liberaturus ut pollicitus es, ut primum illa nox nostrae libertati, et Ægyptiorum praestituta caedi, appetere coeperit. Nam hortatur Deum ut redeat, ea nox cum advenerit, quia ex quo illam liberare promisit, quoad advenit salutis ac libertatis promissae dies, abesse ab illa Deus videri potuit. Hortatur autem ipsum ut fiat similis capreae hinnuloque cervorum, id est, ut nihil anteponat suae salutis, ut nihil ipsum ab auxiliando retardet, sed cito, brevi, facile, celeritate maxima, quod promisit, conficiat, quod et evenit. Nam sexcenta hominum millia praeter foeminas, atque servos, quorum erat innumerabilis multitudo, intra decem et octo horarum spatium (tot enim horae ad summum intercesserunt, a media nocte decimiquarti diei mensis primi (1), quando Ægyptii interfici coepti sunt, ad horam nonam insequentis diei (2), quando se Hebraei in viam dederunt) tot igitur millia hominum intra tam breve tempus novo miraculo, in unum coacta, agmine facto, e Ramesses profecta sunt, ut se Deus in eis ex Ægypto educendis sedulum, diligentem, festinantem, velocem, cervorum atque hinnulorum instar, praestiterit.

(1) Exod. xii. (2) Num. xxxiii.

CAPUT III

1. In lectulo meo per noctem quaesivi, quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni.
2. Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas, quaeram quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni.
3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: num quem diligit anima vidistis?
4. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae.
5. Adjuro vos filiae Hierusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.
6. Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?
7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel:
8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super foemur suum, propter timores nocturnos.
9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani:
10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Hierusalem.
11. Egredimini filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

PRIMA EXPLANATIO

Soluta somno sponsa, atque experrecta, sponsum quicum se jacere credebat (nam uti rogatus fuerat, cum pecore e pastu domum reversus fingitur), quaesivisse, atque, eo non invento, e lecto exilivisse, domoque egressa, urbis loca omnia illum quaeritando obiisse dicitur. In quo non quid re ipsa gestum sit, commemorasse intelligendus est Salomon, sed quid rei, de qua agitur, natura fieri postulet, accommodate ad ipsam rem, atque apte exposuisse